



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

2. Dies Septembris. Quid iniquius? quàm velle sibi obtemperari à minoribus, & nolle obtemperare majoribus? August. de Opere Monachor.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

692 *Christiani Militis* Septemb.
agnoscentes, ut sic dilatem fines imperii tui. Sic se to-
tum Deo uni committere, est omnes pietatis in De-
um numeros absolvere. Nec facilè delinques, si tua
omnia Deo delinquas. Intende igitur animum in se-
quentia metra:

*Si quis salvari vult, perpetuoque beari;
Christo devotum, studeat se tradere totum.*

2. DIES SEPTEMBRIS.

Quid iniquius? quām velle sibi obtemperari à mi-
noribus, & nolle obtemperare majoribus? *August. de Opere Monachorum.*

Obedientia.

Agnata pietati, est Obedientia;
Quisquis enim, in Deum est
pius; est propter Deum, cuius
obedire promptus. Obedien-
tia hominis ad Deum, est affectio voluntatis conjun-
ctae Deo. Obedientia hominis ad hominem, est de-
bita reverentia minoris ad majorem. Commoda,
quæ gignit obedientia, sunt ut plurima, sic & maxima.
In primis, sicut homine domi quiescente, Res publica
fert leges, movet arna, præsidet Justitiæ, invigilat
consilii sui mysteriis; unde cuivis privato, suis tan-
tum commodis intento, salus, securitas, & felicitas.
Sic & Ecclesia, omnibus suis subditis fert leges; &
pro eorum incolumentate sancit varia decreta; excogit
at diversa, quibus eos ad salutem manuducat, præli-
dia: quibus, subditi omnes si obedient, illud obti-
nent, quod soli Deo est singulare, non posse errare.
Quantum igitur, est illud beneficium; inter caligi-
nes, quas offendunt animi affectiones; inter errores,
quos efficiunt cupiditates; inter ignorantias, in quas

mundi

Septemb.

Tessera.

693

mundi leges, & mores impellunt, sapere, inoffenso pede procedere, nunquam hallucinari, prudentissimè absque ullo errore gubernari; perinde, ac si poleres Divinâ sapientiâ, & prudentiâ. Illud assequeris beneficio Obedientiæ, quæ Vicaria est Divinæ Sapientiæ. Sic ergò propter Deum, obedias Ecclesiæ Dei; ut assequaris illam rectè obedientis conditio nem, de quâ D. Bernardus: (a) *Non attendit verus obediens, quale sit, quod præcipitur; hoc solo contentus, quia præcipitur.*

II. Solon percunctatus, quâ ratione salva posset esse civitas, respondit: si cives obtemperent suis Magistratibus; Magistratus autem, Regibus. Quod dicit Solon de civitate, idem dicendum de quâvis privatâ familiâ & quovis in familia homine. Hinc scitè Aug. (b) *Pax domus, est ordinata imperandi, atque obediendi concordia cohabitantium:* Pax civitatis, ordinata imperandi, atque obediendi concordia civium. Nihil igitur, magis homini obest, quam nolle obesse. Si alterutrum sit eligendum; consultius est obtemperare, quam imperare. Subinde tamen parere, peccatum pareret; ut patet ex Augustino: (c) *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Sed, quid si illud jubeatur, quod non debet facere?* Hic sane contemne potestatem: ipsos humana rum legum gradus adverte. Si aliquid iussit Cura tor, faciendum est; non tamen, si contra Proconsul jubeat. Non itaque contemnis potestatem, sed eligis majori seruire: nec hinc debet minor irasci, si major pralatus est. Rursus, si ipse Consul aliquid jubeat; & aliud jubeat Imperator; & aliud Deus, Da veniam ô Imperator! tu car-

Xx 3

cerem,

(a) *De præcep. & disp.* (b) *De civit. Dei l. 19. c. 13.* (c)
II. *Quest. 3. can. Ita Corporis §. quis resistit.*

694 Christiani Militis Septemb.
cerem, ille gehennam minatur. Hic tibi assumenda effi-
dest tua, tanquam scutum, in quo possis omnia ignea jacu-
la inimici extinguere. Mala imperanti obtemperare,
est animam obtruncare.

III. Utinam de omnibus, qui sub Christi vexillis
faciunt stipendium, diciposset, quod de suis militibus
Scipio Africanus! Is., cum in Africā bellum gereret,
ostendit viros cunctos, quos secum habebat; & tur-
rim præterea excelsam in mari, & ait: Nullus horum
omnium est, qui non consensâ turri semet in mare
præcipitaturus sit, si ego iussero. Si omnes, quin
Ecclesiâ militanti prælia Domini præliantur tamfo-
rent ad parendum expediti, essent pugnando invicti!
Rem acutetigit, dum hæc protulit B. Stephanus,
Comes Tironensis: Praestat exercere unum actum
veræ obedientiæ; quam facere sexcenta miracula.
Conditiones germanæ Obedientiæ paucis comple-
xus est D. Bernardus: (a) Bonus obediens dat suum
vile, & suum nolle, ut possit dicere: Paratum cor meum
Deus, paratum cor meum; paratum, quodcumque præ-
peris facere; paratum, ad nutum cuius obedire; par-
atum, tibi vacare proximi ministrare, me ipsum custodire,
& in caelium contemplatione requiescere; amabilis so-
cius; omnibus officiosus, & nulli onerosus; devotus ad
Deum, benignus ad proximum; sobrius ad mundum,
Dominis servus; proximi socius, mundi Dominus. Supe-
riora habet ad gaudium, equalia ad consortium; infe-
riora, ad servitium. Denique, qui Obedientiæ præcel-
lit virtute, statim ubi observavit vel nutum præci-
pientis; dicto citius, parat aures auditui, linguam vo-
ci, pedes itineri, manus operi. Conversus itaque ad
Deum;

(a) Sapex Cant.

Septemb.

Tessera.

695

Deum, dic submissimā animi reverentiā cum magno Augustino: (a) *si obedire tibi, mihi amabile; & resistere tibi execrable.* Qui imperanti paret, magnam sibi gloriam parit. Suffragatur Poëta :

Qui iussis paret, præmia magna parat.

3. DIES SEPTEMBRIS.

Quidni omnia possibilia sunt innitenti super eum,
qui omnia potest? *S.Bernardus serm 85 in Cant.*

Fortitu- I. **N** spectatissimum virtutum thea-
do.

In quod aperimus , mihi videtur
Fortitudo, jure quodam procedere , ut
Regina coronata; quæ , cùm sit timen-
dorum omnium contempratrix , vim suam in omnes vir-
tutes explicat, terroreisque sub jugum mictit. Est au-
tem, teste Tullio, & approbante D. Thoma : (b) *For-*
*titudo, considerata periculorum suscep-
tio , & laborum per-
pessio.* Est porro illa una de præcipuis virtutibus; qui-
bus, humana vita ad virtutem instruitur, ut conlen-
tiant omnium Sophoram Scholæ, & Theologorum
exedræ ; atque adeò inter Cardinales eam reponunt;
id est, in eo gradu, qui proximè ad Divinas virtutes
accedat. Est enim , una de rotis currus triumphalis,
quibus anima pervehitur ad cælum. Versatur autem
hæc virtus circa Metum , & audaciam , quæ duo ho-
norificè moderatur, ut asserit Augustinus : (c) *Qui*
vera virtute fortis est; nec temere audet, nec inconsulte
tumet. Sæpè fit; ut, si quis fortè opus aggrediatur Nu-
mini acceptum, & propagandæ gloriæ tuæ decorum;
subito innumeræ difficultates , & periculorum ilias;
& plura etiam , quæ Herculi monstra objiciantur,

Xx 4

quæ

(a) *Meditat.c.7.* (b) *l.2.de Invent.* (c) *Epist.ad Hier.*